Armachanus Redivivus

VEL,

In *Aprilis* 17^mum^ diem nuperi Funeris Domini Virique verè reverendi, pientiſſimi, nec non eruditiſſimi


JACOBI USSERII

Totius *HIBERNIÆ* PRIMATIS, &c.

ORATIO ANNIVERSARIA

Habita nuper ad Academ. celeberrimam *Oxoniæ*, Illuſtriſſimoque Domino *Richardo* ejuſdem Cancellario, & Domino *Henrico* Cancellario *Dublini* Seorſim dedicata.

à *Fitzpaynæo Piſcatore.*



LONDINI,
Typis *Gulielmi Godbid*, Salutis æra
M. DC. LVIII.


PAX
QUÆRITUR
BELLO

HEROI

Verè Illustrissimo, Fortissimo, Humanissimo;
Maximóque suæ vetustissimæ Familiæ
Ornamento:

Seculi sui, *BRITANNIARUMque* PRINCIPI
Desideratissimo,

DOMINO

RICHARDO

Serenissimi nostri *PRINCIPIS*


OLIVARI

FILIO & HÆREDI
AMPLISSIMO;

Ad CONCILIUM Magnum
Cooptato;

Nec non ACADEMIÆ celeberrimæ *OXONIÆ*
Quam dignissimo
CANCELLARIO.

P. P. Hanc ORATIONEM dicat devovétque
nec non animitus apprecatur
Fælicitatem, Victorias, Triumphos, *&c.*



ARMACHANUS

REDIVIVUS.

Reverendi Seniores, Honorandi Patres; eruditi Juvenes, & Pupilli: Et vos omnes cujuscunque gradus Academici, quotquot huc confluxistis,

SALVETE.

SEcundus nunc agitur annus ex quo celeberrimus Hiberniarum *Primas* vivis excessit. Secundus nunc annus agitur, & utinam novissimus non fuisset apud vos *Annus Intercalaris* Qui nupero silentio memoriam tanti Viri *Transiluistis*. Sed Silentii Causam facile est conijcere, quum putandum sit, suspiria, gemitusque vestros adeo præcordiorum portas obvallâsse, acsi cunctos aditus ad vocem præclusissent. Constabat vos lachrymis fuisse Liquidos, alioquin non credidissem Mutos. Non mirabor si vox sua faucibus hæserit *Oxoniæ*, quia consternata stupuit, adeoque saxea diriguit, ut non veriùs *Bos in Vado*, quàm Bos in lingua totius steterit Academiæ. Sapienter igitur amici silebatis, quia tunc non eloqui potuistis. Leves quidem curæ loquaces fluitant, sed graviores in fundo subsidunt; Et ipsa Funalia pingui quo pascuntur fomite, eodem suffocatæ restinguntur.

Nec

Nec Infandus hic Interitus haſce tantummodo perculit Academias, ſed & exteras, quibus etiam gemitus extorſit, & horrores inculcavit. Ad *Antiſtitis* tanti Diſſolutionem tanquam terræ motu concuſſus *Europæus* Orbis impalluit, quaſi Suam prævidiſſet. Seminecem noſtram *Britanniam* nutabundam vidimus, & has Oceani circumfluentes Inſulas veluti novo lachrymarum Freto fluctuantes. Annus ille nimis eheu nobis Climactericus, qui tot literarum Fata portendebat. Dies ille nimis eheu luctuoſus, & illo notabili Die *Lunæ* nigrior qui *Solem* ſuſtulit *ARMACHANUM*. Sic in unius occaſu caligamus omnes, & tenebris pluſquam *Cimmeriis* obumbrati propalamur.

Non opus eſt igitur jam *Prologo*, quum dicendum ſit de *Epilogo*. Marceſcant Laurus, Cupreſſus petimus; abſit Eloquentia, neſcit Dolor eſſe Diſertus. Non noſtri eſt calamiſtratis phraſiuncularum præludere cincinnis, ſed funebres Taxorum præferre Tædas, & votivis ſingultuum victimis venerandis Manibus parentare. Quæram de vobis quæ ſit veſtri mæroris facies? agnoſco planè funeſtam. Quæritis de me quis noſtri doloris color? En! Atramento depinximus, ut Guttulas quas Oculi negaverint, flentis, & fluentis calami ſtillicidiis exprimerentur.

Ingens habetis Argumentum, ſed Oratorem minùs forſan eruditum. Ad hanc tamen Provinciam non invitus accedo, quia non impulſus lugeo, ut eodem tempore nec malè de facundiâ noſtrâ, nec benè de dolore judicare videamini. Quòd ſi Theologus ille non minùs ſcitè quàm ſanctè dixerit, *Luctus non tam Mortuorum ſubſidia quàm Viventium ſolatia*; Quis tunc ulteriùs annualia defuncto Juſta deferet *ARMACHANO*? In poſterum quis abnuet *Ipſius* memoriam lachrymarum Balſamo delibutam, Poſteritati perennare? Non vacat (Auditores erudititiſſimi) non vacat cogitare quantum terreni nos amiſimus, quum cogitemus quantum Conſtellatus

Ille

Ille conſequutus ſit. Et tamen infælices ſumus. Eodem nimirum die Literarum Reſpublica ſuo Patrono, Britanniarum, ſuo Genio, Eccleſiarum ſuo Palinuro derelictæ, deſtitutæ. Delicatulus eorum dolor qui forſan Patrem, Fratrem, vel Amicum deploraverint; Anguſtæ nimis næniæ quæ privati pectoris intercluſæ parietibus vix oculorum ripas exceſſere. Nos in *ARMACHANO* hæc noſtro perdimus omnia, & quod plus eſt, omnes; neque tantum luctum teſtari poſſumus ſinguli, quantum debemus Univerſi. Animadvertite vos igitur, Auditores, & colligite Jactura quàm Generalis vobis accreverit. Quòd ſi quis Generalem minus intellexerit, ad Particularia properè deſcendam, & exhibebo, vobis *ARMACHANUM*, in PUERITIA pluſquam SENEM. In VITA pluſquam HOMINEM; In MORTE pluſquam MORTALEM.

Patria eſt ubicunque benè eſt; nec certè malè fuit cum *Hiberniâ* quamdiù benè fuerat cum *ARMACHANO*. Hanc habuit pro Patriâ Terram, Cui nato *Dublinum* maternas mammas admovebat. O ferax Tellus, O feracior Urbs, quæ vel in hoc uno Partu novum Mundum peperiſti, veteremque repâraſti! Jactitet *Arpinum* ſe *Marium* Summum Imperatorem, & itidem *Marcum Tullium* ſummum Oratorem genuiſſe; Juſtius poteſt *Dublinum* vel in uno Chriſtianiſſimo *ARMACHANO* quàm in mille *Mariis* aut mille *Marcis* gloriari.

Nec hæc fortunata Natalium ſedes ſine præſagientis *Numinis* agnitione revolvenda eſt. *Dubligenam* vel Indigenam Dublini diximus: Et obſecro vos unde aliàs naſceretur Ille niſi in Primâ & in Urbe metropolitanâ Qui ad *Metropolitani*, *Primatiſque* Dignitates dudum Deſtinatus? In *Romano* Capitolio fundando Caput miræ magnitudinis effoſſum eſt, quum per hoc, inquit *Florus*, volebant Romam futuram totius orbis Caput augurari. Sed in Collegio *Dublienſi* Componendo Caput aliud admiremini: aliud inquam, adeoque Romæ Capitale, ut

ARMA-

ARMACHANUS unus de pluribus Erroribus quàm tota Roma de ſubactis Gentibus, jure triumpharet. Et certè ſi victorias à Tropheis numeremus, plura jam chartacea in ipſius nupero muſæo, quàm olim ſericata in tot Imperatorum Scriniis oſtenderentur.

Et quas non Ille fruges ſibi potuit de tali Progenitorum ſtirpe polliceri? Optimis prognatus Parentibus, filius non potuit eſſe non optimus. Fælix *Henricus* Archiepiſcopus de tali Nepotulo: Fælix Inſignis Pater de tali Puerulo prædicandus. Alterius, Dotes & Honores ſuccedaneus induebat; Alterius mores, Geniumque tam bellè repræſentabat, acſi mortuorum parentum virtutes in ſuperſtite Prole revixiſſent.

Vix Crepundia primæ depoſuerat ætatulæ, Scholamque ſuperaverat, quum Victor impubes ad *Dublienſem* contendebat Academiam. In Illo literarum *Libano* apud eminentiores *Cedros* merus ſurculus ſubrepſit: Surculus inquam, ſed admodum feſtinus. Merus puer admiſſus eſt inter Patres, quia tanquam Pater audiit inter pueros. Antiquos enim Priſcoſque mores adeo tyrunculus expreſſit, ut quot paſſibus Seniores ſuos ſequutus ſit, tot paraſangis Coætaneos omnes anteceſſerit.

Publicas intrabat Scholas vti Pugil in Palæſtras, onn ut eminus excitaret artes, ſed ut cominus in monomachiam Duellumque provocaret. In omnibus penè diſputationum Velitationibus anteſignanus extitit, quia Dux & Prodromus ubique præivit. Scientiarum Viridaria non modò perambulavit, ſed citiſſimè percurrit; ut in literis quot Progreſſus, tot etiam Curſus feciſſe crederetur. Sic didicit omnes ut eaſdem doceret, ſic docuit, ut neminem quidem puderet ab Illo didiciſſe. A Lectionibus quotidianis, ex Equo tanquam *Trojano* privati Pupilli prodibant indies, & ita quidem prodibant, ut poſſent in poſterum publico prodeſſe; non fieri ſanè poterat quinde de tanto Sole, clariſſima Sydera ſuborirentur. Tanta fuit concitatæ mentis induſtria, tantus inflammati

flammati Pectoris fervor;tot denique perilluſtres dotes ad unum veluti Centrum conglobatæ, ut quicquid in cæteris deſideraretur, in Illo pluſquam redundaret.

Grandeſcentem quotidiè Giganteæ famam Doctrinæ ſtupuerunt omnes, nec nunc ut de puero, ſed ut de quodam Prodigio loquebantur.Alii non intellectum Scientiarum Profundum; Alii Perpetuum Litterarum Dictatorem; Alii ſelectiſſimum Theologiæ Sacrarium non veriti vocitare. Mirandis his enim dotibus mirandæ memoriæ felicitas acceſſit, de quâ tanquam de *Seneſchallo* quicquid heri colligerat, hodiè ſeveriùs exigebat. Nil erat in Theologicis, nil in Chronicis eminenter animadverſum, nil in Philoſophia concinnè dictum; Nil in Hiſtoriâ præclarè geſtum, Cujus non accuratè recordatus ſit. Ita diligens erat in arcanis indagandis, ita promptus in explicando indagata, ut quicquid extitiſſet non magis evolviſſe videretur quàm circumferre. Quod in Illo Natura formatrix inchoaverat,cultrix Diſciplina perfecit: nullam tamen habuit Schedam ſeipſo cultiorem, nec quidquam Scribere malebat, quam Sciviſſe. Qua ratione id aſſequutus eſt, ut ubicunque fuerat locorum non modo Bibliothecam ſecum portaſſe crederetur, ſed eſſe; nec tantùm plurima Legiſſe, ſed penè nihil Ignoraſſe.

Et ſic (Auditores ornatiſſimi) depinxi vobis *ARMACHANUM* in PUERITIA pluſquam SENEM: & nunc fuiſſe in VITA pluſquam MORTALEM, luculenter exhibebo.

Quod ſi ſit homo repetendus ab humo, Conſtabit Heroem noſtrum nil hoc elemento minùs affectaſſe, nil magis omnino contempſiſſe. Hinc fuit ut vix in artibus Magiſter renunciaretur, quàm ſibi renunciaverat *ARMACHANUS*. Induebat Togam, ut exueret Mundum: Rejecit igitur,& abdicavit Paternas Hæreditates,& Conſanguineis ſuis ſponte remiſit, erogavit. Attendite nobiliſſimi Juvenes, & docemini. *Pyramidem* ſempiternæ famæ ſtructurus erat, idcirco *Stramen* & *Lateres* non admiſit.

miſit. Relictam noluit ab aliis Fortunam, qui faber futurus erat ſuæ. Mundanis noluit adminiculis ſufflaminari Qui cæli firmiori fulcro innitebatur. Solutus eſt igitur ab humanioribus ſtudiis ut accinctior Divina ſectaretur. Alias quidem Scientias prout Sorores, alias prout ancillas, unam verò *Theologiam* ceu Dominam veneratus eſt. Veneratus eſt ut Dominam quia ducturus erat in uxorem. Nec hanc Reginam Theologiam Indotatam duxit, de Quâ, tantas Dotes reportabat quantas Dignitates. Accreverunt Honores indies, *ARMACHANVM* vel obruituri, & obruiſſent certè niſi meritis prævenisſet. Ad Illos invitus ibat, ergo ferebatur. Nam pro certo eſt Illum non Dignitates, ſed Dignitates Illum procaces ambiiſſe, ſolicitâſſe: Contempſit enim quia merebatur, & magis inde merebatur, quia Contempſit.

A Cancellario *Divi-Patricii* ad Epiſcopatum *Medenſem* citatus eſt; ab Epiſcopatu *Medenſi*, Supremam *Primatis* Sedem paſſis velis advolavit. Quid enim diutius hæreret in Cerâ *Cancellariatus* Qui ad Epiſcopatum *Medii* deſignabatur? Quid tunc in *Medio* moraretur Qui fuit in *Summo* collocandus?

Summus erat, nemo tamen humilior; *Primas* audiit, nemo tamen ſuis deſpectior oculis, aut in aliorum viſus eminentior. Non in Illo mores mutarunt Magiſtratus: Idem fuit Archiepiſcopus, ac olim privatus; & quiſquis nuper *Vſſerii* nominis oblitus eſſet, in *ARMACHANI* meminiſſet. Ita manſuetus erat, Quo nil poſſit excogitari mitius; Ita comes, ut nullius ſupplicationem rejiceret; Ita affabilis, ut fere nemo fuerat quem non viſu, voceque dignaretur. Omnibus eminùs extendebat Humanitatem, Societatem verò ſuis. Portas aperuit Peregrinis; Arcas Exulibus; manum Pauperibus; ſed ipſum Pectus ſcientiarum Candidatis. Ex his, alios promiſſis allexit; alios ſecum diutiſſimè detinuit; alios mox abituros munificè dimiſit. Hinc è longinquo multi venerunt *ARMACHANVM*

CHANVM

CHANUM videndi ſtudio conflagrantes: Os illud venerandum tandem volebant intueri, cujus famam toties admirati. Nil illa victrix *Amazonum* Regina ſe vidiſſe proclamabat niſi victorem vidiſſet *Alexandrum*; ſic ex *Reformatis* Primores, parum ſe literis profeciſſe putabant, ſi *Primatem* prorſus ignorarent. Qui novit, requirebat, & quum noſcendo penitus obſtupuiſſet, obſtupendo redamabat.

Teſtes tot virorum Primipilarium litteræ dicam, vel Elogia? ſuffragia dicam, vel Tubas & Tympana, quæ vocale *Primatis* nomen per orbem totum cecinerunt, ebuccinârunt? Teſtes etiam tot libri clientelæ, Patrocinioque nominis *ARMACHANI* tanquam Delubro conſecrati. Teſtes denique tot, Manuſcripta dicam vel monumenta? quæ maximis ſuis ſumptibus remotiſſimis terrarum angulis eruebat. Illa tot inquam vetuſta Membranarum monumenta, in tantos congeſta cumulos, ut non modò noſtrum *Bodleianum*, ſed illud etiam *Romæ Vaticanum* Primatis Bibliothecæ crederentur æmulari. Non eſt (Auditores eruditiſſimi) non noſtri eſt adulari, ſed *ARMACHANI* mortui virtutes vivâ voce commemorare: Et certè ſigillatim commemorarem, ſingulaſque percurrerem, niſi Laconicâ perſtricturus brevitate magnitudini derogarem. Sic illi curioſiores Coſmographi, qui dum univerſum mundum veluti intra annuli circulum complecti moliuntur, injurioſè nimis operæ pretio detrahunt & dignitati. Hanc ego laudandi Provinciam pro captu meo ſuſciperem, ſed ſi pro mole meritorum *Primatis* conarer, in labyrinthum totus devolverer, & per inextricabiles illas ambages facilius foret finem quàm principium invenire.

Quis enim ſatis Illum prædicabit, cujus vita perpetua fuit Prædicatio? Qui vixit ad eandem quam dixit, & præſcripſit Normam, pulcherrimèque Theoriam per Praxin illuſtravit. Nam quoties Ille ſanctus ſeceſſit, & ſecum cogitabundus deliberârat, toties nobis ex tempore concionatus eſt:

natus eſt: &ſi vel horariæ contemplationes Lucem vidiſſent, in Hebdomadales migrâſſent Homilias, & pluſquam ſeculo ſuffeciſſent.

In vultu gravitas; In voce Tonitru; in vita Fulgur elucebat. Illa fuit in Scriptis compellatrix calami blandientis authoritas; Illa fuit in Roſtris fulminatrix Facundiæ Suada, ut ſive ſtylo transfoderet Hæreſiarchas, imitatus *Tullium*; ſive de ſuggeſto doceret Reformatos, perſonaret *Paulum*. In ambobus adeo præcelluit unus *ARMACHANUS*, ut ambigendum ſit an plures morti ſcribendo ſubtraxiſſet, an ad vitam prædicando revocaſſet.

Novit in Eccleſiis ædificandis quàm plurimùm vitæ claritas contulerit, & Eloquentiam fore meram Calcem ſine Arenâ, niſi, Pietatis Cæmento conſolidetur. Ad hæc, perſpectæ viros integritatis ad Eccleſiaſticos honores invitavit, evexit. Nil apud Illum Simoniacum, nil apud Illum Venale; nullus extra Gratiam locus; nullæ citra meritum dignitates. Hinc pientiſſimus Ille paterfamilias ad Diſciplinam redegit totam Diœceſin ac ſi Domicilium; & tot paſſim diſperſæ *Ultoniæ* Parochiæ, quaſi una Schola, ſub uno Magiſtro viſæ conveniſſe. Eccleſiarum ſtipendia promovebat, & enucleatas omnes circa Religionem difficultates enodabat. Cleri privilegia tuebatur, nec imminui paſſus eſt; & ſi quid in Diœceſi litigioſæ prævaricationis oriretur, illicò conſilio ſedavit, authoritate ſuppreſſit. Tantæ fuit exiſtimationis apud alios, tantæ venerationis apud Suos, ut Quem timerent ut Archiepiſcopum, amarent ut Patrem, & quòd amabant ut Patrem parebant ut Antiſtiti.

Nec ſemper intra patriælimitesvel muſæi parietes ſedentarius torpere voluit. Ad id, libros diu legerat, ut homines tandem doctior intelligeret. Domi novit Hectores interdum naſci, ſed Ulyſſes omnino foras proficiſci. Publicis igitur ita poſcentibus (in futurum patriæ ſuæ commodum)

libris

libris emendis, & litteris redemendis Angliam nonnunquam tranſfretavit. Regiis illinc rebus urgentibus, Aulicus illuxit, & quod rarum eſt, Aulicus ſine faſtu; Senator ſine fuco; Paludatus ſine Prætextu. Non fuit verſipellis affectuum, vel Temporum Proteus, non ſubdolus auceps Ceremoniarum, quia non aliam linguam quàm mentem, non alium vultum quàm Pectus uſpiam prætendebat. In Regni ſeriis, dubiiſque deliberandis, erant cogitationes plenæ conſilii; Dicta plena ſapientiæ; Exempla plena authoritatis.

Nec hæc officia publica ſecluſæ munia Pietatis inter pellarunt, aut à ſtudiis animum divinis avocabant, in quibus ad uſque finem ſuaviſſimè feriatus eſt. In maximo negotio ſuo fruebatur otio, Regiæ dignitatis omnino memor, ſuæque ſemper oblitus. En Hominem perfectè Civilem! En Civilem conſummatiſſimè Chriſtianum! Vultis Fidem? nulli purior; vultis ſpem? nulli certior; vultis charitatem? nulli Diffuſior. O mentem verè ſublimem, & ad æternitatis Fontes anhelantem! ſic enim Terris egit, ut ſemper Cælum ſuſpiceret, & quoties ab hominibus ſecederet, cum DEO verſaretur. Hinc fuit, ut apud Puriorum Temporum Profeſſores zeloſus, apud zeloſos, ſanctus, apud ſanctos, Angelus emineret: Angelus Pacis, nuntius Evangelicus, Fæderum Præco; In Terris Tuba; de cælo Fæcialis.

Et ſic (Auditores humaniſſimi) demonſtravi vobis *ARMACHANUM* fuiſſe in VITA pluſquam HOMINEM: nunc pace veſtrâ fuiſſe in MORTE pluſquam Mortalem paucis exhibebo.

Ante obitum nemo ſupremaque Funera fælix.

Ad hoc, *Ennius* ille doctiſſimus ſe mortuum Lachrymis decorari vetuit, & hanc cauſam ſuperaddidit, quòd poſt mortem per ora virorum vivus

volitaret. *Marcus Varro*, Quo nemo plura commentatus eſt, ob Immortalitatis ſpem ſe tantos ſuſcepiſſe labores ſignificabat hoc Effato celeberrimo,

Legendo & Scribendo vitam procudi.

Quòd ſi Veteres ſuis *Philoſophis* tantos attribuerint honores, quantos nos noſtro conferemus *ARMACHANO*? Quo, non priorem, priſca videbat ætas, nec parem, forſitan poſtera viſura eſt. *ARMACHANUS* Ille, nuperi ſeculi Delicium, noſtrique jamjam viduati dolor eheu, longeque Deſiderium. Ille eſt, Auditores, qui fuit optimus *Præſul* apud Summos, & Idem *Paſtor* ſummus apud Infimos: immo Qui ſic utrumque conjunxit, ut nomine tantummodo non officio diſcriminarentur. Optimus Ille nimirum *Paſtor* Qui pro ſuis ovibus, non opes modò ſed & animam voluit oppignerare: Qui quicquid vixit Illis vixit, non ſibi; tam mori paratus ut Illæ viverent, quàm vivere contentus ut non Illæ morerentur. Teſtis tota vita eſt, quum de Bonis quibus circumfluebat tantillum ſibi præcerpſerit ad uſum, ſed ad voluptatem penè nihil. Qui quum Dominus eſſet multorum, ſe ſervum fecit omnium; ſatiùſque duxit ſibi ſubeſſe, quàm cæteris Imperare. Flebat cum flentibus, dolebat cum dolentibus, & infortunia Sociorum ſympatheticus, inter ſua numerabat. Ecquis ab Undis quid damni paſſus eſt? Illius charitas in flammas prorupit. Ecquis ab Igne quid diſpendii paſſus eſt? Illius charitas in lachrymas reſoluta eſt, ut Imbribus oculorum, populatrices flammas expiaret. Ille ſuas quàm bene cognovit Oves! Oves Illum quàm benè cognoverunt! Pauperes œconomum, Pupilli, Patrem, Schiſmatici vindicem, omnes miſericordem. Novit quid ad gregis Morbum, novit quid foret ad medelam. Quantam adhibuit diligentiam Stantes corroborando! vacillantes erigendo! Palantes ad ovile revocando! Nec in his cura privata fuit, ſed ubique diſtenta, perque omnes circumfuſa. Non ſatis Illi fuit Reformatæ Fidei ſemina ſub ſuo Pectore

re nutrijsse nisi sparserat in alieno: non satis Illi fuit Puritatis fovisse fibras, nisi & Hæreseos evulsisset. Huc spectabant continuæ cogitationes, huc dies in orationibus, huc noctes in vigiliis exantlatæ.

Nec ad ultimum *Pastoris* munia destituit quum fuit in ultimo penè destitutus. Monitu proculdubio *Divino* tempestivus ab *Hibernia* recessit, priusquam funestæ calamitates erupissent, & Illi Lupi Bipedes, Belluæque deprædatrices dispersas Oves horribili lanienâ jugulâssent. Mutavit Patriam, mutavit mitram, mutavit Fortunas, animo nihilominus immotus, immutatus. In Rostris apud *Hibernos* ephebus & crudus Concionator adolevit; In Rostris apud *Anglos* Concionator valde senex perseveravit. Apud Illos, a Prædicatore *Primatis* honores auspicatus est; apud nostros à Primate, in *Prædicatorem* remigrabat. Sic oportuit *Imperatorem* stantem mori, sic cadentem decuit *Archiepiscopum* stetisse, & in sacris expirâsse. Nec certè postremò, quum vox & spiritus Illi defuerant, suis *animo* deesse voluit, nam quum non loqui potuerat quæ scripsit, ea tamen ad ultimum scripsit quæ nos in æternum loqueremur. Solis instar in occasu gloriosior illuxit, & pallidum Mortis Crepusculum, mirandis ejaculationum radiis inauravit.

Quòd si sapienter Ille *Solon* dixerat, *Cuique finis expectandus est ut recte judicetur*, & post actam vitæ fabulam supremus concitetur Plausus; quis tunc Palmam, quis adoream vincenti denegabit *ARMACHANO*, Qui mortalitatis Personam laudabiliter exuit, & vel in vitâ, de morte triumphavit? Sic enim vixit ut se quotidiè moriturum meditaretur, & sic moriebatur acsi perpetuo victurum sese meminisset.

Si computemus Ætatem, constabit Illum tantummodo septuaginta sex annos complesse, sed si virtutes numeremus, dignissimum sane judicabimus *Nestorea* secula superâsse. In his longævus vixit, In his longævus excessit. Vixit in operibus, suisque vigebit operosis Ille voluminibus,

bus *Mauſolæo* pluſquam marmore perennandus. Sed quod ad nos ſpectat miſellos (magne Pater) miſeri quidem ſumus quod tibi ſumus ſuperſtites; miſeri quod non tecum migrare potuerimus; miſeriores quod ſine te cogamur in terris deſolati commorari. Dextrum, dextrum perdidimus oculum, & ſi lævus adhuc nobis relictus ſit, ad incommodũ forſan relictus eſt, ut gravius inde videamus infortunium. O quàm ſub exiguo pulvere compreſſus Ingens jacet *ARMACHANUS*! O quàm paucorum pedum circuitu cineres illius componuntur! Cujus famæ nimis anguſtum fuit *Europa* tota monumentum: Jacet illud ſtupendum nobis Ingenium: Admiranda jacet illa poſteris Induſtria: Jacet illa tot Linguarum ſcientia, tot ſcientiarum memoria, doteſque tam ſanè multiplices, ut quò quis ſpectet penitiùs, eò miretur magis; quò diutiùs, eò ſatietur minùs. Conceſſit Fato, vir Fati, mundique ſpretor; ſuccubuit morti, Vir omnibus Virtutum numeris abſolutiſſimus; non iterum viſurus nos, non à nobis iterum videndus. Recolligite tamen Naufragii Tabulata; colligite Ruinas; contemplemini relliquias & ad memoriam redivivas revocate. Contemplemini venerandam capitis Canitiem ſupremam mundi meſſem maturitate præcurrentem; Contemplemini Corpus illud in multos labores induratum, vigiliis attritum, Lucubrationibus exhauſtum; contemplemi pacificum vultum ſenii ſulcis exaratum, in quo tanquam tot characteribus, ſeculi ſui calamitates inſcribebantur.

O Beate vir, qui vix citiùs Terris deſieras, quàm Cæli Gaudia Prælibaveras! *O Beate vir*, Qui jam conſequutus es quæ diutiſſimè ſperabas, & quæ conſequutus es nunquam perdes, nunquam depones. Mors Tibi non Tumulus, ſed Torus; Spiritus tuus tranſlatus eſt, non deceſſit; locum mutavit, non reliquit: miſerrimi ſunt qui cum morte luctantur, Tu mortem præſtolando prævenisti, ſupplantaſti; ut non minùs vivus ad mortem, quàm mortuus ad vitam viderere.

Vale

Vale grande ſcientiarum Propugnaculum, *Atlas* indefeſſe laborum, maxima columna litterarum! *Ultonienſium* centeſime vale Pater Antiſtitum! princeps Præſulum! mitrarum Gemma! Perduellium mallee! Reformatorum munimentum! Supereſt nobis (ut uno verbo ſingula complectar) ſupereſt, inquam, nobis orbitas eheu luctuoſa; nobis, vobis, omnibus, ut quot nuper viros vidimus ad *ARMACHANI* Feretrum confluxiſſe, tot etiam Funera crederemus in unius Funere celebrari.

———*Sed Cinthius aurem.*

Sat Lachrymis noſtris, Sat laudibus litavimus *ARMACHANI*. In hoc vaſto lachrymarum, laudumque Pelago latiùs excurrerem, niſi vererer patientiæ veſtræ jacturam feciſſe: littus igitur petiturus, foliorum carbaſa complicabo, veſtriſque Favoniis adjutus, anchoræ certus, Portuque tutus

acquieſcam.

FINIS.

Ex officinâ Typographicâ GULIEL. GODBID
Maii 8vo. M DC LVIII.